



DISSE
TATI
O
DE
IN D U L G E N T I I S
—
Q U A M
AD
SUMMOS IN SACRA THEOLOGIA
HONORES RITE ADIPISCENDOS

CONSCRIPSIT

JOANNES PETRUS ZIENKIEWICZ,
REVERENDISSIMI CELSISSIMI EXCELLENTISSIMI ILLUSTRIS-
SIMI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS ET POSNANIENSIS
SECRETARIUS ET CAPELLANUS.

CICICCCXXII.

POSNANIAE,
TYPIS DECKERI ET SOC.

D I S S E R T A T I O N I
S I L T I U M I N D I
G E N S U R A.

Dissertationem de indulgentiis ab Illustri Admodum Reverendo Domino Joanne Zienkiewicz Archiepiscopi Gnesensis et Posnaniensis Capellano conscriptam, legi, nihilque in ea bonis moribus et fidei catholicae contrarium reperi, adeoque typis mandari posse, censeo. —

Dabam in Seminario Posnaniensi die 2. Martii 1822.

Laur. Mischke, L. C.

I M P R I M A T U R.

*Josephus Trepanowski, Canonicus Metropolitanus,
Auditor generalis Posnaniensis.*



225722

Deinde per se Indemnem. Quam libenter patet est, Habet ipsa, ut dico
deinde, per se Indemnem. Per se, id est, Indemnem, libenter, patet, est, Habet, ipsa, ut, dico.

Sermonem de indulgentiis, gravem in rebus fidei aequa ac in historia, instituendum existimo. Quem petram scandali et lapidem offensionis dixerim (^a); quia plurima inde in Ecclesiam Christi mala saeculo XVI profluxerunt et totum fere orbem coinquarunt. (^b) Quum enim anno MDXVII Albertus Archiepiscopus Moguntinus Leonis Papae X jussu pro Basilica S. Petri, a Julio Papa II Praedecessore aedificari coepta, exaedificanda, (^c)

(a) Jesaias c. VIII. v. 14.

(b) Notae sunt historiae gnaris ardentes illae lites et rixae saeculo XVI. propter indulgentias ortae, quarum occasione defectio Lutheri consecuta est. —

(c) Falsa eorum assertio, qui indulgentias tunc temporis pro bello contra Turcas gerendo publicatas volunt. Ita Pichler in sua Theol. ^{arg} ^{par} II. art. IV. §. V.

indulgentias Ordini Praedicatorum, (^d) quas olim ex Ordine S. Augustini publicare saepius consueverant, (^e) promulgandas mandasset, id adeo aegre tuit Martinus Lutherus, (^f) ut publice non solum abusus indulgentiarum, id quod bene fecisset, sed et ipsas indulgentias ac sensim alia Ecclesiae dogmata elidere, repudiare et temnere cooperit. Qui callet illius aevi historiam, Reformationem Lutheri haudquaquam ignorat. Verum procul a me abest, ultra solitam hoc loco moderationem progredi, consultoque, pro religionis materia, personales instituere actiones; res ipsa per se loquetur. Quam, prout par est, tractabo, ut, quod mihi p[ro]ae primis in animo est, elucescat catholica fides.

-
- (d) Albertus supra laudatus Archiep. Mogunt. munus hoc exercendum P. Joan. Tetzelio Ord. Praed. per Germaniam commisit.
 - (e) Ordo S. Augustini indulgentias ad Crucias promovendas ab Urbano Papa II. in Conc. Claramont. anno MXCVI concessas per varia Germaniae loca promulgabat.
 - (f) Hanc Reformationis caussam omnes allegant, quatenus haec Luthero, de Reformatione, ut ferunt, jampridem cogitanti, specialiter profuerit. Moreri in suo Dict. mag. ait: „Luther ne pouvait souffrir les Théologiens Scholastiques, qu'il commença à combattre, dès l'an 1516, par des thèses publiques, sur le mérite des bonnes œuvres, sur les traditions humaines, etc.“ — et anno sequente 1517 occasione oblata a Joan. Staupitz Vicar. gen. Ord. S. August. ad movendas de indulgentiis quaestiones praeterea impulsus, Reformationem plane sapere coepit. —

Ante Lutherum Montanistæ seculo III, teste Tertull. lib. de pudic. Valdenses saeculo XII, referente Reinero lib. cont. Val. c. 6. — Wiclefitæ et Hussitæ, recensente Synod. Constant. Sess. 15, indulgentias, quae fiunt per Ecclesiam, reprobasse dicuntur. —

§. II.

Vox indulgentia ^(a) derivatur a verbo indulgeo ^(b) graec. χαρίζομαι ^(c) vel συγχωρέω unde συγχώρησις, quod proprio obsequi ac gratificari denotat. Apud Scriptores antiquos occurrit, cum pro gratia, ^(d) tum pro poenarum remissione; ^(e) utroque sensu hic adhibetur. Interdum pro venia usurpatur, ^(f) sed, ubi indulgentia, ibi veniae nullus locus, quippe nullum peccatum ejus, cui indulgetur, observat Casaubonus. ^(g) —

(a) Usus est eo nomine Gregorius Papa VII. variis in epp. usus est quoque Pacianus epist. 3. contr. Novatianos. —

(b) De hoc verbo ita Casaub. ad Persium: indulgere propriè est contrarium τοῦ urgere, ea enim origo vocis: indulgere pro inurgere dixerunt inserto d, ut inolescere pro inolescere, unde est inoles: deinde l pro r posito: sunt enim in omnibus linguis eae literae facile invicem permutabiles. — Urgere est severi ἐργοδιάκτου, qui pensum morose exigit, indulgere est ejus, qui de summo jure aliquid remittit, ut fere parentes liberis. Sic dicitur princeps debitorum reliqua indulgere, quorum exigendi jus habuit. —

(c) Ωι δέ τι χαρίζετε, καὶ ἔγώ καὶ γὰρ ἔγώ ὁ κεχάρισμαί, οἱ τι κεχάρισμαί, δι' ἀνάσ, ἐν προσώπῳ χριστῶν κ. τ. λ. Epist. II. ad Corinth. c. II. v. 10.

(d) Plinius lib. 10. ep. 2.

(e) Capitol. in Antonin. pio c. 6. —

(f) Sulpicius dial. 1. de virt. Monach.

(g) Plura de hoc verbo videre est in thes. erud. schol. Basil. Fabr. —

Indulgentia, communi Ecclesiae usu, donatio, condonatio,
 (a) relatio, (c) remissio, (b) ac demum novissime caelestis Ec-
 clesiae thesaurus (d) nuncupari solet. —

Qui hanc vocem a Jure consultis proficiisci volunt, pro-
 xime mihi ad fontem accedere videntur; siquidem illi indulgentiam
 remissionem criminum quoad solam poenam legibus debitam,
 quam aliquando Principes publicae laetitiae causa impertieban-
 tur, vulgo appellant. (m) —

Quid vero indulgentia sit? certo, ut ingenue fatear, enu-
 cleari nequit. Indulgentiam remissionem esse poenitentiae in
 satisfactionem criminum poenitentibus impositae, ita Celeb. BOS-
 SUET scribit; (n) aliis brevissime definitibus: remissionem

(h) Patres et Concilia plerunque hac phrasi loquuntur.

(i) S. Cyprian. in epp. suis et lib. de lap.

(k) Inde Decret. tit. XXXVIII. de poenit. et remiss. ubi etiam c. IV.
 Alexander Papa III. Archiepiscopo Cantuar. expresse scribit: „quod
 autem consulisti, utrum remissionses, (indulgentiae) quae fiunt in
 dedicationibus ecclesiarum etc.“ —

(l) Concil. Trid. Sess. XXI. c. IX. de Reform. —

(m) God. Theod. tit. de indulg. crim. praesertim in lege 3. —

Ita Bellarminus lib. I. de indulg. c. l. —

Van Espen Juris eccl. univ. part. II. sect. 1, titul. VII, de indulg. —

(n) In sua exp. fid. c. 1. num. 17. —

Hanc definitionem omnes veteres canones e. c. Nicaeni can. II.

Ancyrani can. 4. et 5. fideliter tinentur. Itaque indulgentia juxta
 veterem Ecclesiae praxin unice in relaxatione poenae canonicae pro
 culpis injunctae consistere deberet. —

esse poenarum, (e) Deone de peccatis debitaram? vel canoniarum? videlicet nescientibus. (p) Quare Concilium Tridentinum (q) ob hanc Theologorum discordiam, liberas circa indulgentiarum naturam opiniones permisit. —

His praelibatis, antequam dogma catholicum de indulgentiis exponerem, de varia indulgentiarum specie quaedam praemitenda esse judicavi, ut ordine custode fidi, ulteriora melius patescerent cognita. —

§. III.

Indulgentiarum species aliae antiquiores, recentiores aliae. Antiquissima illa est, qua S. Paulus incestuosum Corinthium satanae traditum in interitum carnis, ut spiritus salvus esset, in die Domini nostri Jesu Christi, (a) in gratiam Fidelium liberatum in communionem recepit. (b) — Quae donatio ac poenae ferendae

(o) Klüpfel. in sua Theol. dogm. lib. III. §. 102. de indulg. —

(p) S. Thom. Aquin. duplicem poenae per indulgentias relaxationem exponit et alii. —

Nota: Wer da aber glaubt, daß er durch den Ablass von seinen Sünden und von jenen Werken, die zur Bekehrung nothwendig sind, freigesprochen werde, der wäre noch sehr unwissend in der christlichen Religionslehre. Joh. Herm. Marx in seinem Religionsbuch. — II. Band, Seite 836.

(q) Concil. Frid. Sess. XXV. definitione abstinere maluit. —

(a) Epist. I. ad Corinth. c. V. v. 5. —

(b) Epist. 2. ad Corinth. c. II. v. 10. —

remissio, ne abundantiori tristitia absorbeatur et in desperationem adigatur, revera indulgentia est ^(c)) Synodus Nicaena can. 11. et Ancyrena can. 4 et 5. alius indulgentiae speciei meminit, ut Episcopi nempe vel disciplina ecclesiastica vel clementia in poenitentes utantur, seu peccatoribus poenitentiam agentibus, in quantum eos compunctos et contritos viderint et prudentia ipsis suaserit, aliquid de poenis vel relaxent, vel addant, condonent vel angeant. Sed animadvertisendum, quantus rigor, quanta continencia, quantusque servaretur modus? ^(d)) Alteram indulgentiarum speciem apud Cyprianum non immerito indulgentiarum Doctorem invenimus. ^(e)) Indulgebatur poenitentibus, qui a fide defecerant et lapsorum nomine veniebant, ad preces et intercessionem Martyrum. Lapsorum duo recensentur genera, eorum, qui Sacrificati, quibuscum severius agebatur, et eorum, qui Libellatichi vocabantur. ^(f)) Tres relatæ indulgentiarum species in primaeva Ecclesia

(c) Non tam poenitentiae opera, quam gratia et beneficio. S. Chrysostomus homil. IV. in epist. II. ad Corinth. —

(d) Iis tantum, quicunque et metu et lachrymis, et tolerantia et bonis operibus conversionem opere, et non tantum habitu ostendunt. Concil. Nicaen. can. 12. —

Indulgentiae prosunt solummodo poenitenti, operanti, roganti. S. Cyprianus lib. de lap. —

(e) Tract. de laps. et epp. —

(f) Tertullian. lib. de pudic. c. 12. —

Fleurus in sua hist. eccl. tom. II. compl. saec. III. —

Sacrificati hi erant, qui thus idolis aduluerant, libellatichi, qui, ne idolis sacrificare cogerentur, munus dabant et libellos pro se, suisque obtine-

saepius ac saepius usum obtinent antiquioresque optimo jure nominari possunt. Historiae crebra monumenta eārum existentiam, earumque tot saeculorum serie facto comprobatam praxim solide attestantur, de quibus suo loco, ubi de potestate Ecclesiae indulgentias conferendi sermo erit, uberius et prolixius agam. Superest adhuc de novis indulgentiarum speciebus aliqua verba facere. Saeculum XI ejusmodi indulgentiarum vestigium primum exhibet, quo illas scilicet pro bello, contra Ethnicos, Haereticos, Schismaticos gerendo, intuitu operis laboriosi, concedi visum est, (g) atque expeditio Hierosolymitana (h) insigne hujusce facti praebet exemplum. Ex his indulgentiis, quasi ex fonte, novissimae promanarunt, quae pro aedificatione et reparatione Ecclesiae, Hospitalis, Monasterii etc. (i) divulgabantur, in solvendisque con-

bant, ut his velut securitatis praesidio muniti, sese a satellitum audacia et furore tuerentur. Natal. Alexand. in hist. eccl. tom. V. pag. 84. et 114.

(g) Hac formula: „qui hoc opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus an-
nixus fuerit, peccatorum omnium remissionem consequatur.“ Quam
indulgentiae speciem jam saeculo X. invaluisse asserit Van Espen loc.
cit. —

(h) Alias Crucifixa hortante Urbano Papa II. in Concilio Claromontano anno 1096. a Gallis suscepta, a Guilelmo Tyrio de bel. sacr. delineata. Tanta multitudo hominum undique confluebat, ut S. Bernar. ep. 246. diceret:
vacuantur urbes et castella, et penè jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeo ubique viduae vivis remanent
viris. “ —

(i) Formula haec erat: „qui denarium in aedificationem, aut reparationem
hujus Ecclesiae, aut Oratorii etc. contulerit, tertiam, vel quartam par-

sistebant pecuniis, (^k) unde Quaestores et indulgentiae quaestuarie. (^l) Quae labente saeculo XV plurima peperere mala, ac se

tem poenitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus.^m Morinus lib. 10. c. 20. num. 2. —

Haec indulgentia posteriori tempore ita aducta fuit, ut pro reparatione pontium, itinerum etc. concederetur. Videre est Decret. tit. XXXVIII. c. IV.

Qui scire velit rationes ejusmodi indul. legat Guilelm. Episc. Parisiens. tract. de Sacr. ord. tom I. cap. 13. et recensionem earum a D. Claud. Flair. factum, qui in suo 4 disc. hist. n. 16. pulcre explanat: „ces raisons, si elles étaient solides, auraient du toucher les saints Eyeques des premiers siècles, qui avaient établi les pénitences canoniques; mais ils poussaient leurs vues plus loin. Ils comprenaient, que Dieu est infiniment plus honoré par la pureté des moeurs et la vertu des Chrétiens, que par la construction et l'ornement des Eglises matérielles, le chant, les cérémonies, et tout le culte extérieur, qui n'est que l'écorce de la religion, dont l'ame et l'essentiel est la vertu“ etc. —

(k) Haec indulgentia omnimodam poenitentiae publicae desuetudinem maturavit. Rieger in sua diss. de poenit. et poen. eccl. — Similiter notat Morinus lib. 10. c. 20. num. 3. „Haec relaxatio merito dici possit causa remissarum et tandem obsoletarum poenitentiarum canonitarum. Quis enim longissimis et durissimis poenitentiis nocti diuque incumbere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Episcopi mandatum erogato, tertiae poenitentiarum canonitarum parti summa quadrantis satisfacit, et triplicato denario totam summam albo expungit? etc.“ —

(l) Quaestores ac Praedicatori quaestuarii dicti sunt, qui per singula oppida et pagos poenitentium oblationes colligabant. Quam horribilis fuerit Quaestorum illorum excessus, narrat Joachimus Camerarius de bell. Smalcald. narrat Christianus Lupus in diss. de peccator. et satisf. indul. c. 4. — Abusum igitur causa, quibus pietas Christiana extincta et disciplina ecclesiastica enervata fuit, prodierunt indulgentiae quaestuariae. —

ab Ecclesia avellentii Luthero praecipuum Reformationem tentanti suppeditarunt argumentum, quamvis, cuius Lutherus obliisci non debuisse, abusus usum tollere non potest. —

§. IV.

Indulgentiae sunt vel plenariae, vel non plenariae, (a) prout illas Romani Pontifices in suis Bullis conferre solebant, quarum originem saeculo praesertim XIII. vindicandam esse historia nos docet.

Videre licet quid Concilium Trident. Sess. XXI. c. IX. de Reform. statuat? —

Indulgentiarum, quae pro reparatione Ecclesiae etc. concedebantur, nullum monumentum saeculum ante XII. altius reperitur. Ita. Morinus loc. cit. quamquam Guillelmus Altisiodorensis in summa lib. 4. tract. 6. c. 9. cum Baronio ex prioribus jam temporibus eas repetere videatur. Quae omnia diligenter collegit Van Espen loc. mem. — Inde vero perperam inferres, indulgentias saeculo primum XI. aut XII. in Ecclesia ortas esse. Non agitur hic de re ipsa, quae vel ab ipsis incunabilis in Ecclesia extabat, sed de novis formulis, de modis indulgentiarum concedendarum; quod ad disciplinam historiamque pertinet, nequaquam ad fidem. Rieger loc. laud. — Van Espen de indul.

(a) Totales, vel partiales, vel limitatae, ut vult J. H. Boehm. I. V. lit. XXXVIII. §. V. Inst. jur. eccl. —

Quid vero sit quadragena, carena? vid. Decr. I. V. tit. I. c. VIII.

(b) Haec nova indulgentiarum species plures iterum invexit. Famosa admodum indulgentiae species est, dicit Rieger, (c) quae Jubilaeum (d) vocari solet, eaque largissima. Adscribitur Auctori Bonifacio Papae VIII, (e) qui quolibet anno centesimo visitantibus Apostolorum Principis limina non solum plenam, largiorem sed et plenissimam indulgentiam (f) omnium peccatorum suorum

(b) D. Claud. Fleur. in suo dis. hist. VI. n. 2. —

Maldonat. de poen. qu. de ind. 2. p. c. 2. —

(c) Rieger loc. supra cit.

Van Espen. l. c.

(d) „Annus quadragesimus nonus seu quinquagesimus dicebatur Iudeis Jubilaeus et erat annus remissionis. Viri docti non convenient de etymo Jubilaei. Ex Josepho vox ita libertatem significat, deducique potest a verbo קָרְבָּן quod sonat afferre, adducere.“ Bernard. Lamy in suo app. bibl. —

Lev. c. XXV. v. 13. et seqq. —

LXX. ἔτος τῆς ἀφέσεως. —

Gesenius in suo dict. hebr. sic ait: „die Etymologie ist streitig, am wahrscheinlichsten schliesst es sich an das vorige an, d. h. קָרְבָּן weil, was freilich nirgends ausdrücklich steht, dieses Jahr mit Jobelhörnern, cornu arietum, wie das neue Jahr mit Posaunen verkündigt wurde.“ Conf. Carpzov. app. ad ant. s. cod. — Sic sentiunt, pergit Lamy loc. cit. qui volunt arietes ab Hebraeis appellari: קָרְבָּן Jos. VI. 6. — Sunt, qui putant antiquitus idem quod tuba canere denotare, unde קָרְבָּן וַיִּזְבֹּחַ vocatus est Gen. IV. 21. — Pater canentium cythara et organo. —

(e) Bonifacius VIII. Extrav. de poenit. et remiss. in comm. —

(f) Si plena, largior, quid plenissima? — Van Espen loc. laud. —

Singularibus indulgentiis plenariis adnumerari etiam debet Portiuncula, tametsi ejusdem indulgentiae authenticum nullum exstat monumentum.

concessit. Has posteriori tempore celebrandas et anno quidem pri-
mum centesimo (s) dein quinquagesimo (h) nec non trigesimo ter-
tio (i) Pontifices Romani varie decernebant. Jubilaei extensio
facta est ad alias quoque Ecclesias. (k) Forma ac conditiones lu-
crandi Jubilaei in Bulla Bonifacii Papae VIII. et Sixti V. copiose expo-
nuntur. (l) Concilium Lateranense has indulgentias restrinxit et
can. „Cum ex eo“ sine legitima causa indiscretas, inutiles, sta-
tuit. —

S. Bonaventura coaevus S. Francisco plura inter mira, vitam ejus descri-
bens, hujus indulgentiae non meminit. Idem ipse Benedictus XIV. in
const. fatetur. —

(g) Bonifacius VIII. in sua const. loc. sup. cit. —

(h) More Judaeorum. Vid. Clem. VI. anno 1350, in Extrav. Const. „Unige-
nitus“ de poenit. et remiss. in comm. —

(i) Urbanus VI. Ast post Concilium Constantiense Romana Ecclesia abjecit
hanc novitatem Urbani, rediitque ad decretum Clement. VI. Et ita fuit
usque ad Paulum II., qui Jubilaei indulgentias anno quoque vigesimo
quinto esse voluit. Christ. Lup. loc. nup. cit. —

Van Espen loc. cit. —

(k) Nonnull. Bonifac um IX., sed alii probabilius Paulum II. an. 1464. hanc
extensionem fecisse dicunt. Liberalitas ista nihilominus temperata est in
Extr. 3. poenit. et rem. in com. —

(l) Eaedem sunt, quae Bullis continebantur. Assignantur duæ hebdoma-
des, in quarum altera jejunia, eleemosynæ, visitatio Eccl. et simil. prä-
scribuntur. —

Rieger loc. mem. —

Balth. Rereslich diss. de ind. Jubil. —

§. V.

Praeliminaria sunt, quae percurrimus; dicam modo, quid in Ecclesia Christi de indulgentiis sit fidei punctum. — Concilium Tridentinum Sess. XXV. de indulg. haec habet: Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, ^(a) latque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, et praecepit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.[“] — Quem in locum Doct. BOSSUET Ep. Meld. ^(b) advertit: quod Synodus Tridentina nihil aliud in hac materia credendum proponat, quam potestatem indulgentias conferendi a Christo Ecclesiae esse concessam, earumque usum salutarem, ideoque retinendum. ^(c) Reli-

(a) P. Soarez tom. IV. —

Angles in flor. theol. de indul. —

Bellarminus par. I. lib. VI. de indulg.

(b) In exposit. doctr. Eccles. cathol. —

(c) Haud abs re erit aurea verba Episcopi Mutinensis hic loci apponere, cuius sententia magno coronae assensu accepta est et Patres Concilii eam sunt secuti: „Si de indulgentiis tractationem instituere vellent (ita allocutus est Patres congregatos) eum in modum, quo de justificatione tractatum esset, causis omnibus consideratis, et quaestionibus excussis, rem fore longam admodum, et difficilem, multumque temporis desiderantem: neque enim caput illud satis dilucide explicari posse, nisi prius

qua, quae a Theologis propugnari solent, disciplinam spectant.
 (d) Veritas catholica confirmatur scripturae testimonio, Conciliis
 et continua Ecclesiae praxi.

§. VI.

Christus Dominus Apostolis promittit Spiritum S. (a) postquam eos (b) allocutus fuerat: „quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.“ Quibus nihil prorsus excipit, sed plenam po-

illud constitutum sit, an sint absolutiones, an vero compensationes, et suffragia, et utrum poenias tantum a Confessore impositas remittant, an quascumque debitas. Idem an thesaurus, qui fundamenti loco substernitur, ex solis Christi meritis constet, an vero opus sit insuper meritis Sanctorum, an dari possit sine ulla accipientis opera; an ad mortuos etiam se extendant, et alia non minoris difficultatis. Verum ad haec determinanda Ecclesiam earum concedendarum potestatem habere, semperque eas concessisse, quodque perquam utilés sint fidelibus eas digne percipientibus, tanta disputatione opus non esse; constat enim auctoritatem eas concedendi in sacris literis haberi, usum continuatum ex traditione apostolica et Conciliorum auctoritate, totiusque materiae dilucidam cognitionem ex concordi doctrina Theologorum. Hisce de rebus confici posse decretum nullis difficultatibus obnoxium“ Van Es-
 pen verba haec ab Historico Conci. Trid. allata loc. cit. adducit. —

(d) Veronius in regul. fidc. —

(a) Joan. XIV. — 16. —

(b) Matth. XVIII. 18. —

testatem remittendi retinendive peccata elargitur. Qui potest remittere et retinere peccata; potest etiam et poenam pro hisce peccatis debitam mitigare, et, ut hominum infirmitati medeatur, prout necesse, laxare. Christus Salvator noster magnorum nos beneficiorum participes effecit, (c) per gratiam humanum genus redemit, (d) gratia fideles regi voluit, (e) ut si modo peccator culpas suas cognoverit, easque digne fleverit, ipsi residuum condonaretur. Ab ultimis retro temporibus ad praesens usque momentum Ecclesia hac potestate pollebat illoque utebatur. Loco S. Pauli toties laudato (f) nondum homo pollutus impositam sibi ab Apostolo poenitentiam penitus sustinuit; neandum pro horrendo peccato poenis coram Deo luendis satisfecit, indulgentiam nihilominus adeptus est. (g) Lachrymae, vitae emendatio, dolor intimus, moeror gravis miserationem merentur. Indulsit Paulus, poenamque longiori temporis spatio subeundam, contraxit, breviavit. (h) Ex allatis

(c) Epist. ad Hebr. III. 14. —

(d) Actor XV. 11. —

Epist. ad Eph. I. 7. —

(e) Epist. II. ad Corinth. I. 12. et seqq.

(f) Epist. II. ad Corinth. II. 10.

(g) Ibid. —

(h) Non enim, quod dignus sit (sc. Corinth.) neque quod sufficientem exhibuerit poenitentiam, sed quod infirmus, ideo dignor illum veniam etc. S. Chrysost. homil. IV. in ep. II. ad Corinth. —

Sic Theophilactus: „pulchre autem dixit: Donare. Ut enim ille non existimat sibi remissam noxam, quia satis confessus sit, et sufficienter

patet Ecclesiam potestatem a Christo accepitam vel ab ipsis primordiis ad hanc usque aetatem exercuisse, exercere. —

§. VII.

Frequens, quam in Concilijs ab ipsa veneranda antiquitate Ecclesiae Christi reperimus, mentio, veritatem hancce roborat.

1) Synodus Ancyranæ anno 314. celebrata can. 1. statuit: „ut poenitentibus verae poenitentiae signa monstrantibus, indulgeatur.“ —

Canone 2. haec leguntur: „nisi forte (a) aliqui Episcoporum consciæ sint laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, et voluerint eis (Diaconis nimirum lapsis) aliquid amplius tribuere, vel adimere, penes ipsos ergo de his erit potestas.“ —

Canone 4. et 5. decret. „Episcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum conversatione, normam regulamque conversationis attribuat, id est: aut humanius agens, secundum vitae modum, tempus alicui poenitentiae breviet, aut etiam prolixius, quod correctione ne

poenitentia ductus, attendit, quod non tantum ex poenitentia sua, quantum ex illorum gratia et donatione dimissionem recipiat, —

Pacianus lib. 3. contr. Novat. —

Ambrosius de poenit. lib. 6. —

(a) Interprete Isid. Mercat.

cessarium viderit, addat. Discutiatur autem omnium horum et praecedens vita et posterior: et ita circa eos sacerdotalis se humanitas moderetur.“ —

Eundem sensum praebent cann. 15. et 22 — verba 22di sunt: ^(b) „modus autem hujus poenitentiae in Episcoporum sit arbitrio, ut secundum conversationem poenitentium possint et extendere tardantibus et minuere studiose festinantibus.“ ^(c)

- 2) Brevi tempore Concilium gen. Nicaenum I. anno 325. habitu can. 11. et 12. praescribit: „quotquot enim metu et lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant: hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communiunt: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.“ ^(d)
- 3) Synodus Regia Ticina ex anno 850 c. 7. sancit: „oportet per oppida singula villasque curam gerere Presbyteros, et poenitudinis tempus vel extendere, si poenitens negligenter

(b) Ex versione Dyonisi. exig.

(c) Itaque Suoaresius disp. 49. de indulg. sect. 3. n. 1. concludit „licuit Episcopis ex canonibus poenitentiis publicis, quae pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid poenitentibus remittere, si eorum vita et laudabilis conversatio id meretur.“

(d) Porro Concilium Trullanum can. 12. Carthaginense IV. can. 75. Triburicense can. 51. Nicaenum II. can. 11. eodem tendunt. —

injunctam prosecutus est, vel breviare, si desideranter veniam placationem studvit promereri." —

Quam ecclesiae doctrinam praeterea illustrant: —

a) Basilius in epist. ad Amphil. can. 54. „tuae prudenteriae, pro circumstantiae proprietate, poenas intendere vel remittere.“ Huc spectant cann: 2. — 7. — 48. —

b) Gregorius Nyssenus in epist. ad Letojum can. 4. de homicid. „— et in hoc quoque idem observabitur ab eo, qui Ecclesiam administrat, et pro ratione conversionis illi quoque poenae tempus contrahetur etc.“ — (e) —

§. VIII.

Priseis Ecclesiae temporibus solebant Episcopi ad preces et intercessionem Martyrum (a), eorum, qui ob fidei confessionem carceribus detinebantur, ut id §. III. attigi, poenitentiam lapsis relaxare, Tertulliano (b) et Cypriano (c) testibus, unde evincitur:

(e) Idem confessi sunt: Innocentius I, ep. I. c. 7. —

Leo Magnus ep. 79. c. 5. —

(a) Credimus posse apud Judicem plurimum Martyrum merita et opera justorum Cyprian. lib. de lap. —

(b) Tertull. lib. de pudic. —

(c) Cyprian. lip. de lap. inque epp. suis.

- 1) Sanctos Martyres libellis suis, quos dare moris erat, petisse ab Episcopis, ut lapsis, quibus hac de causa poenitentia injungebatur, pax seu indulgentia daretur. —
- a) „Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt: et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovore et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.“ (d)
- b) „Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus et petierint Martyres et fecerint Sacerdotes.“ (e) —
- c) „Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis, ut nominatim designetis eos, quibus pacem dari desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, ut dicatur: communicet ille cum suis. Ideo peto, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinae congruentes literas dirigatis.“ (f) —
- 2) Rectores Ecclesiae libellorum a Martyribus datorum quasi precum eorum, rationem habuisse, poenitentiamque lapsis temperasse ac moderasse.

(d) Tertull. lib. ad Martyr. c. 1. —

(e) Cyprian. loc. mem. —

(f) Cyp. ep. 2. ad Martyr. et Conf. tum ep. 11. —

- a) „Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, pacem dedisse: et hanc famam per te et aliis Episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum SS. Martyribus pacem habere etc.“ (g)
- b) „Ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.“ (h)
- c) „Et ideo plauicit, examinatis causis singulorum, libellaticos interim suscipi, sacrificatis in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est.“ (i) —
- d) „Si qui libello a Martyribus accepto de saeculo excederent, exomologesi facta, et manu eis in poenitentiam imposita, cum pace sibi a Martyribus promissa ad Dominum remitterentur.“ — (k)
- 3) Quem morem veterem fuisse, siquidem Tertullianus non de eo invalescente aut nuper usitato, at jam dudum existente laudato loco commemorat. (l) Iterum patet:

(g) Idem ep. 17 — et 23. —

(h) Cyprian. ep. 13. et seqq. 14. — 15. — 18. —

(i) Idem ep. ad Cornelium 55. —

(k) Idem ibid. —

(l) Tert. loc. sup. laud.

- a) indulgentiam antiquitus extitisse nec non
 b) istiusmodi praxim Ecclesiam priscam observasse. (m)
-

§. IX.

Indulgentias Fidelibus esse salutares ideoque retinendas vel sequentia inculcant: (a)

- 1) Homo natura sua debilis et infirmus, (b) nisi potentia et gratia divina fulciatur, (c) periclitetur, necesse est. Christus omnium avet salutem. (d) Ecclesiae suae usque in finem duraturae, (e) omnia media salutis reliquit, ea in Ecclesiae sinu reposuit, ut Fideles hisce adhibitis, bono suo spirituali optime opitularentur atque in terra reconciliati, quae sursum sunt, liberius quaererent. (f)
-

- (m) Quod pluribus ex instituto ostendunt
 Natalis Alexand. in sua hist. eccl. tom. V. Diss. de fide Zephir. R. P. —
 Juenin Diss. XIII. de indul. —
 Morinus lib. 9. c. 26. —
 Euseb. Amort. in op. theol. tom. III. de indulg.

(a) Concil. Trid. Sess. XXV. de ind. —

(b) Matth. VIII. 17. —

(c) Act. XV. II. —

(d) I. Timoth. II. 1. —

(e) Matth. XXVIII. 20. —

(f) Ep. ad Coloss. III. 2. —

- 2) indulgentiae plurimum valent; alleviant enim hominem, infirmitatem nostram sanant, praeparant corda nostra ad digne et salubriter suscipienda Sacra menta, vitamque nostram meliorem reddunt. (g) —
- 3) „id agunt indulgentiae, ut poena pro culpis commissis contracta, quae obstat, quo minus Dei misericordia, quamdiu divinae justitiae non perfecto satisfecimus, pleno in nos imbre redundet, mitigetur.“ (h) —

Hisce expeditis aggrediamur alia. —

§. X.

A Theologis (a) variae agitantur quaestiones, variae nutriuntur controversiae. Ex superius proxime allatis fidem Ecclesiae dicimus, ex proferendis, quae ad disciplinam indulgentiarum historiamque pertineant, edocebimur. — Quae proximis quinque paragraphis percurremus, illa ita recensebimus, ut solummodo, quae notatu digniora sint, afferamus.

(g) Marx in seinem Religionslehrbuche sagt: „sie laden uns zur ernsten Buße ein, und befreien uns immer mehr von den zeitlichen Strafen Gottes, deren wir uns durch die begangenen Sünden schuldig gemacht haben.“ — l. c.

(h) Prosperus ab Aquila in diet. theol. —

Hosius Card. de satisf. p. 160. edit. Colon. —

(a) Veronius in regul. fid.

Van Espen loc. supr. mem. —

§. XI.

Saeculo XII., ut jam praeced. §. notavi, gliscente nova Scholasticorum doctrina, quae praeter verborum ubertatem minus utilitatis offerebat, innumerae circa indulgentias irrepserant sententiae subtile. Unde effectus indulgentiarum petendus? magno studio quaerebatur. Quem ex aliquo Ecclesiae thesauro (^a) vindicandum, pluribus placuit. Verum enim vero saeculum ante XI. nulla sit de eodem mentio; nihil in Patrum operibus de eo legitur. — Itaque hoc in puncto, quae dicenda forent, potius silentio praetereunda sunt, cum, quod quaeritur, tenebris tegatur, quas discutere ex omni parte difficile est. Quibus ergo omissis de aliis videamus. —

(a) Vid. Alex. de Hales et Alb. Mag. —

Juenin in suo oper. th. c. 2. concl. 1. affirmat: fide certum est admitti debere in Ecclesia thesaurum, qui constet ex meritis superabundantis satisfactionis, quam Christus Deo Patri pro hominibus exhibuit.

Confer. etiam Durand. in 4. dist. 20. quaest. 3. —

Clement. VI. const. in Extrav. „Unigenitus.“ — Ex hac constitutione Theologi fidem Ecclesiae eruere mihi videntur. —

§. XII.

Probatum est quoque, ad saeculum usque XIII. concedendarum indulgentiarum omnes Episcopos qua propriam exercuisse potestatem. (^a) Non solum Romani Pontifices, sed omnes per orbem dispersi Antistites hac potestate gaudebant, et jure quidem, nam impossibile est, ut Romanus Pontifex omnes Fidelium praevidere valeat necessitates. Potius hujuscemodi cura eos spectat, qui proxime gregi adhaerent ipsumque ex officio suo, (^b) in quantum positi sunt a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, (^c) bonis spiritualibus cumulare debent. Indulgentia subditos respicit, per modum jurisdictionis exercetur; populi itaque sibi commissi necessitatibus providere, praecipue Episcoporum est. Innocentium Papam III. hanc potestatem Episcoporum primum restrinxisse, accipimus. (^d) —

(a) Sic volunt cann. Conc. Ancyrr. et Nicaen. de quibus supra sermonem habui. —

Saeculo VI. Vigilius, Papa Theodeberto Gall. regi responsum ferens, hunc in modum Caesarium Ep. Arelat. admonet: „charitas tua, totius facti qualitate, ac poenitentis ipsius compunctione perspecta, praedictum gloriosum Regem filium nostrum, et de temporis observatione non omissat instruere, et ne ulterius tale aliquid praesumatur, instanter exposcat.“ —

(b) Epist. II. ad Timoth. IV. 5. —

(c) Act. XX. 28. —

(d) Concil. Lateran. sub Innocentio III. anno 1215. Episcopi nonnisi decreti vi lati ad dies XL. indulgere possunt, tempore vero Consecra-

§. XIII.

Non quacunque de causa (^a) ut id quoque ad §. IV. annotavi, sed omni circumspectione et moderatione servatis, prisco more indulgentia conferebatur. (^b) Serio discutiebantur causae, ob quas poenitentiae remissio concedenda erat. (^c) Quare de excessu et abusu indulgentiarum saeculum ad XI. nullae occurserunt quere-

tionis Ecclesiae ad unum annum; Cardinales centum dies remittere possunt. — Plenarias vero indulgentias solus Papa concedit. —

Pulchre advertit hac occasione Van Espen. loc. mem. „quod Patres Concil. Trid. in decret. de ind. non tam respexerint ad Episcopos, quarum authoritas intra moderatos terminos sciebatur (in Conc. Later. anno 1215. celebrato) conclusa, quam ad Romanam Curiam, a qua non ea moderatio, quam Synodus exoptabat adhiberi, servabatur in his indulgentiis concedendis.“ —

(a) Synod. Cameracens. tit. de indul. sancit: „ut Parochi populum suum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levioribus, vanis, et superstitionis causis exorbitantes indulgentias pollicentur; quum indulgentiae nonnisi ex piis et rationalibus caussis concedi debeant.“ —

Similiter praecipit Synod. Mechliniensis tit. de indulg. —

Christ. Lup. in sua diss. c. 8. —

(b) Estius in IV. Sent. dist. 20. §. 10. —

(c) Synod. Ancyran. can. 5. ut pluries animadverti, mandat; „ut Episcopi, modo conversationis examinato, vel clementia vel poena in poenitentes utantur. Ante omnia autem et praecedens vita, et quae consecuta est, examinetur“ etc. —

Idem confirmat Con. Nicaen. „quicunque et metu et lachrymis, conversionem opere et non tantum habitu ostendunt.“ —

iae; vel saltem rarissimae, at contra strictissima paecepta. (d)
 Liberalitas justissimis et aequissimis claudebatur cancellis. (e) Id
 circa Concilium Tridentinum in iis concedendis moderationem
 juxta veterem et approbatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi
 cupit; ne nimia facilitate disciplina ecclesiastica enervetur. (f) —

§. XIV.

Increbrescentibus tot indulgentiarum speciebus, modus haud
 servari potuit. (a) Larga beneficia ad annos centum, mille exten-
 sa (b), quibus animarum saluti provideri videbatur, disciplinam

Estius loc. cit. —

Van Espen, qui plura hac in mat. scripsit. —

(d) Lucianus reprehenditur a S. Cypriano ep. 23. quod caussis minime at-
 tentis, sine praevio examine, pacem lapsis dederit. Pariter arguitur a
 Clero Romano epist. Cyp. 30. —

(e) Cyprianus judicat loc. mox dict. „nec a se, nec a quovis alio Episco-
 po indulgentias dandas, sed a Synodo, et quidem Clero praesente.“ —
 Christ. Lup. l. c. c. 7.

(f) Concilium Trid. tot. add. —

(a) Riegger in sua diss. §. XIX.

(b) Quam aliena sit a disciplina ecclesiastica indulgentiarum in annos cen-
 tenos, aut millenos liberalitas! Van Espen l. cit. —

Estius in IV. sent. dist. 20. §. 20. —

Morinus lib. 10. c. 23. num. 7. ostendit ad saeculum usque XII. non-
 nisi indulgentias partiales in usu fuisse. —

ecclesiasticam, quae tam sancte colebatur, penitus enervarunt. (c) Poenitentiae enim publicae, sine quibus homo ad pacem Ecclesiae cito admissus lapsus in peccata mortalia jocum reputat, (d) diminiui imo obsolescere coeperunt. (e) Quid vero rationi, dicit Rieger, puid justitiae consentaneum magis est, quam ut, quos publice peccando ad peccandum incitavimus, publice poenitendo a peccato revocemus. (f) Disciplina rigidior per XI. fere secula in Ecclesia durabat, (g) et Concilium Tridentinum antiquae praxis non immemor, poenitentiam publicam inculcat. (h) —

(c) Morinus l. 10. c. 20. —

(d) S. August. serm. 34. de div. c. 3. —

(e) Van Espen loc. cit. —

(f) Rieger nuper cit. —

(g) Nec ista, (pergit Morin. lib. 6. c. 14.) diligentia tribus tantum, aut quatuor saeculis in Ecclesia viguit, sed undecim integris ita constanter perduravit, ut de ea nihil prorsus remissum fuerit. —

Van Espen part. II. Sect. I. tit. VI. de Sacr. poenit. —

(h) Concil. Trid. Sess. XXIV. c. VIII. de Reform. —

§. XV.

Indulgentiae pro defunctis sunt labori meo positurae finem. Num indulgentiae et ad mortuos extendi possint, mens mea in ambiguo haeret; Theologis id affirmantibus, negantibus aliis. Illi ad praxin Urbani III. Calixti III. Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. Gregorii XIII. Summorum Pontificum, qui eas dederint, hi ad Concilia, quae plane de ejus modi dandis indulgentiis silent, provocare solent. Certe in mortuos, nullam potestatem habemus; illi in manu Dei sunt. (a) Recite cum S. Bernardo (b) dicere possumus: defunctos solum Deum habere Judicem. Nec litterae sacrae, nec traditio certos nos reddit; reliqua seri temporis sunt. At per modum suffragii, supplicatorio scilicet modo defunctis indulgentias applicari posse, Theologi solent probare. (c) Atque haec quidem hactenus. —

(a) Sap. III. 1. —

(b) Bernard. ep. 7. —

Leo M. ep. 91. scribit: „nec necesse est nobis eorum, qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cuius judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suae justitiae reservavit.“ —

Gregorius XIII., juxta alios Sextus IV., instituit altaria privilegiata, animas de purgatorio liberatura. —

(c) Gabriel Antoine in sua Theol. moral, de indulg. —

§. XVI.

Pauca haec, succincte data, interim sufficient. Catholicae doctrinae, a qua injuste tam multi abhorrent, illamque recentiori plane aevo fabricatam, nugantur, (^a) sit defensio. Rogandus Dominus pacis, (^b) et Princeps Pastorum (^c) ut tandem ovium dissipatarum misertus, ovili uni (^d), in quo tam magna clades facta, consociet, ut Israel infeliciter divisus Judae denuo jungatur! (^e) — Quo sic unanimes uno ore glorificemus omnes Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi (^f) et nomen ejus laudemus et superexaltemus in secula. (^g) —

Juenin loc. cit.

Pichler in sua Theol. pole. II. art. IV, §. V. —

(a) Gerardus de poenit. §. 132. et alii.

(b) Epist. II. ad Corinth. XIII. II.

(c) Joan. X. 11.

(d) Joan. X. 16. —

(e) Oseae c. I. et II. —

(f) Rom. 15. — 6.

(g) Cant. tri. puer. Dan. 3. —

MULTISSIMI huius, non esse ad PESUDATUM

HIC cum SCHOLIA, una cum STOCCHIACOLANI

Hisce de suis luptis per se est.

VADISSENIUS, STRATEGIUS, etiam copiose diversis

— VITIA, cum litteris Berwictribus, sicut,

V i t a.

Urbs celebris KOZMIN praeclara gente SAPIEHA,

Quae me progenuit, quae mihi pro patria.

Pieridum primis studiis retinebar ibidem

Donec erat tempus mihi ulteriora sequi.

Posnaniam Musis servire deinde profectus

Sub GORCZYCEWSKI plurima percipio.

Excidérant animo neque nomina clara per orbem

KAULFUSSII pariter, non secus ac PRZYBYLI,

Nec non BUCHOVII imo etiam STOCII meritorum

Perbene de patria, pulchra per acta, sua.

ANTOSZEWCZ, STRUSIŃSKI soluti corpore quamvis

Vivent, nam virtus permanet ipsa, tamen. —

Et pietati, Vir venerande, Tuae, BRODZISZEWSKI

Debeo quod mihi cor scilicet incolume:

Qui probitate sua dilectus ab omnibus atque

KASSIUS ecce bonus tempus in omne viget,

Quaeque manus tenuis pari est conscribere vota;

WOLICKI vivet saecla per innumeram

Cum ter seno abeunt cursu mea tempora tandem

Levitis ego mox adnumeratus eram.

Tres praecepta DEI venerandi disco per annos;

KURKOWSKI, RZYMSKI tunc tenuere Scholas.

Permagnas dignas grates quibus hisce repedo:

DĄBROWSKI que Tibi nostra fides socia.

Nec possum reticere nec ampla relinquere dona,

Quae toties MISCHKE participare dedit.

Post Vratislaviae doctis quae plena Magistris,

Tres vivens brumas, artibus invigilo;

Vobis pro tantis JABCZYŃSKI, KOBIERSKI, ROSIŃSKI,

Auxiliis gratum hic en manifesto animum! —

Vos canere et memori fama semper celebrare

Magnanimi usque adeo, PELKA, DERESER, amo.

Auspiciis Vestris cumulabam pabula mentis,

Pectore nimirum quae mihi sancta manent;

Vosque, decus Musarum et gloria, KOEHLER, et HAASE,

SCHOLZ, HERBER, quos gens ipsa POLONA colit.

Posnaniam, tum fultus amicitia remeavi,

Qua GÁJEROVICH me recreavit amor.

Nil ego contulerim jucundo sanus amico,

Qui fuit, est et erit, mi GÁJEROVICIUS.

Cumque Sacellani modo munere fungor honesto

Tempora per laurum condecorare peto. —



BIBLIOTEKA KÓRNICKA

225722